



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

pter infinitam eius excellentiam, alia tribuatur Angelis & hominibus, propter dona supernaturalia; alia Regibus, Magistratibus, viris doctis, &c. propter perfectiones naturales.

Nam cultus Deo debitus & adoratio quae ei exhibetur, ex usu Scholasticorum dicitur latría. Cultus qui exhibetur propter perfectiones creatas supernaturales, generali nomine vocatur à Scholasticis *dulia*; & quae species observantiae. Propter perfectiones naturales exhibetur civilis cultus, qui ad observantiam politicam pertinet. Ex quibus patet non solum Deum posse honorari, de quo tamen latius in sequentibus.

Notandum 1. excellentiam non tantum esse causam propter quam possit adorari id quod huiusmodi excellentiam in se formaliter continet, sed posse etiam esse causam adorandi id quod illam aliquo modo respicit. unde adoratio alia dicitur absoluta; alia respectiva.

Notandum 2. Deum summo genere adorationis esse colendum, neque cultum & adorationem illi debitam posse communicari ulli creaturae; quod apud omnes est indubitatum: cum enim sit adorandus propter infinitam suam excellentiam, quae nulli alteri est communicabilis, constat cultum latría nulli alteri posse deferri. Ut autem patet ex ratione facta, non debetur Deo cultus distinctus propter diversa eius beneficia vel attributa; cum non tribuatur nisi ratione infinitae excellentiae simpliciter &c. quae est unica, & quae saltem debet apprehendi implicitè ut Deus adoretur.

5. Externa signa quibus aliquem adoramus, non sunt ex rei natura determinata; sed varia esse possunt, ut patet ex Scriptura & usu gentium; solemus enim aliquem interdum honorare apertione capitis, genuflexione, corporis demissione, osculo manus vel propriae vel alterius &c. unde nisi apud aliquam gentem signa determinata sint assumpta ad cultum alteri deferendum, omnibus illis modis possumus aliquem adorare. Dixi nisi apud aliquam gentem &c. quia cum per adorationem velimus alium honorare & nos illi submittere, pendeat autem ex instituto quibus actibus alium censeamur honorare; constat rempublicam posse praescribere signa, quibus alium adoremus; quae constitutione posita, non erit liberum cuilibet particulari alia signa adhibere saltè in publico: quia huiusmodi signa in tale republica non possunt censeri signa submissionis sui & testimonium excellentiae alterius. Quod dictum est de republica, longè potiori iure dicendum est de Deo; posse scilicet determinare signa quibus adoretur. ubi

6. Aduerte cum externa signa non sint ex se & natura sua determinata ad vllum cultum in particulari, debere spectari ex affectu exhibentis nam sunt signa cultus latría vel *duliae*, vel alterius; vel etiam, an sint irrisoria. Eadem enim genuflexio Deo exhibitae ex affectu eius qui huiusmodi signum exhibet, est adoratio latría si exhibeatur B. Petro, est adoratio *duliae*; exhibita regi, est signum observantiae civilis & politicae. Possunt tamen exterius ex circumstantiis interdum dijudicari esse signa huius vel illius cultus, vel etiam irrisoria; ut patet in genuflexione militum, qui Marci 15. dicuntur positi genibus Christum adorasse.

7. Non solum signa sunt ex se indifferentia ad quodvis genus cultus; sed etiam ipsum nomen adorationis, quod non solum sumitur pro veneratione quae Deo exhibetur, sed est generale, ex sua institutione significans quamcunque venerationem exhibitam

alteri in signum submissionis. unde non statim ut in Scriptura, vel etiam in ecclesiastico scriptore legitur nomen adorationis, concludi debet agi de cultu exhibito Deo, vel etiam de alio religioso, & multò minus si illud nomen usurpetur à profano scriptore; sed ex varijs circumstantiis est considerandum. Et quidem nomen adorationis in Scriptura interdum sumi pro cultu Deo exhibitò notius interdum est, quàm ut pluribus probari debeat; ita sumitur Exod. 20. Non adorabis ea. Matth. 4. Deum tuum adorabis & illi soli seruias. Ioannis 4. Veni hora, & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: ubi enim agitur de adoratione per sacrificium, quod utique soli Deo potest exhiberi. Sumitur etiam pro cultu viris sanctis exhibitò, patet ex Act. 10. ubi Cornelius procidens ad pedes Petri adoravit eum. sumitur pro cultu politico Gen. 23. ubi dicitur quod Abraham adoraverit filios Heth. cap. 23. Iacob adoravit fratrem suum Esau 3. Reg. 1. Bethsabee adoravit David, & alibi. Generalis etiam sunt Hebraei מִשְׁחָה *mischa*, & קִרְבָּן *qirban* similiter & Graeci προσκύνησις & ὑπόκυψις, quibus Ecclesiasticorum scriptorum usu *latría* accipitur pro cultu diuino, seu qui soli Deo exhibetur: *dulia* verò accipitur pro cultu qui exhibetur sanctis.

ARTICVLVS I.

Utrum vna & eadem adoratione sit adoranda diuinitas Christi & eius humanitas?

RESPONDET vnicam esse adorationem ex parte eius qui adoratur; ex parte tamen causa, posse dici plures adorationes.

Vult docere quòd licet sint plures causae adorandi Christum, sit tamen vna persona quae adoratur: quod probat in fine corporis ex canone 8. Concilij primi Ephesini, ubi dicitur: si quis audeat dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo &c. quasi alterum cum altero; & non potius vna supplicatione veneratur Emmanuel iuxta quòd Verbum caro factum est, anathema sit. idque est de fide contra Nestorium, qui duas in Christo constituebat personas.

ARTICVLVS II.

Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione Latría?

SUPPONIT ex articulo precedenti adorationem propriè exhiberi subsistenti; partes verò vel naturas, ut sunt aliquid ipsius subsistentis seu suppositi, non adorari per se, seu ea non adorari secundum se, sed coadorari dum adoratur suppositum cuius sunt partes vel natura: v. g. dum adoratur homo, coadoratur corpus, similiter & animas quae secundum se non adorantur. Quamvis autem aliquid non subsistens non adoretur per se, potest tamen alteri esse ratio cur adoretur. hoc praemisso

Respondet 1. si humanitas sit obiectum adorationis quòd cum Verbo adoratur, eam esse adorandam adoratione Latría, ea nimirum quae ipsi Verbum adoratur, cui coadoratur humanitas tanquam illius natura. Prob. ex Damasc. lib. 4. de fide cap. 3.

Respondet 2. si consideretur ut ratio adorandi, eam non esse adorandam adoratione latría, seu Christum non esse adorandum latría ratione humanitatis ornatæ omni genere gratiarum, sed *dulia*. Unde in fine corporis dicit, ita scilicet quòd vna

& eadem

Adoratio alia absoluta, alia respectiva.

Signa adorationis varia esse possunt.

Respublica potest praescribere signa adorationis.

Signa adorationis spectari debent ex affectu exhibentis.

Marc. 15.

Adoratio est nomen ex sua institutione significans

eadem persona Christi adoratur adoratione latræ propter suam diuinitatem, & adoratione dulcis propter perfectionem humanitatis.

DV B I V M I.

De adoratione latræ Christo debita.

CONSTAT naturam diuinam in Christo debere adorari latræ, & per consequens Christum ut Deum latræ adorandum. Quæstio uero est num etiam in natura humana sit latræ adorandus.

Dico 1. Christus homo eadem latræ est adorandus quæ Christus Deus. est de fide ex Conc. Ephesino can. 8. *Siquis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo & conglorificandum & nuncupandum Deum tanquam alterum cum altero &c. ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuel, unanque in glorificationem dependit iuxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.* & ex Concilio generali 5. can. 9. *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quodam adoratione introducitur, semotim Dei Verbo & semotim homini, &c. sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum eius carne adoratur, inquit quod sancta Dei Ecclesia ab initio tradidit, talis anathema sit.*

videri etiam potest Trid. sess. 13. can. 6.

Ex primis definitionibus patet vnā adorationem Christo impendendā, ita ut homo non solum sit coadorandus, id est tanquam persona distincta adorandus cum Filio Dei, sed etiam ut latræ quæ impenditur Filio Dei impendatur filio hominis, cum sit vnā eademque persona idque voluit Concilia contra Nestorium, qui concedebat hominem coadorari vnā cum Verbo, id est quando adoratur Filius Dei, adorari etiam filium hominis propter habitationem Filij Dei in homine, distinctā tamen adoratione.

Cum dicimus Christum hominē adorari eadem latræ quā adoratur Christus Deus, non volumus significare humanitatem illi esse causam & rationē ob quam huiusmodi adoratio ei impendatur; cum satis cōstet solum infinitam & increatam excellentiam esse rationem propter quam alicui deferatur cultus latræ; sed hanc loquendi formā solum volumus significare, quod etiam in humanitate subsistens latræ sit adorandus, cum etiam subsistens in humanitate sit verus Deus.

Dico 2. eadem adoratione latræ simul cum Verbo adoranda est Christi humanitas. Ita docet S. Th. his articulis, ubi Caic. & communiter Theologi tam antiqui quam recēiores, paucis exceptis. Et patet ex can. 9. Concilij 5. generalis citati; & passim docent Patres. Athan. lib. de Incarnatione Christi: *quia increati corpus factum est, ideo eius corpus dicitur cuius factum est: ac proinde illi sacra offerunt, adhibeturque vestram adorationem, eaque de causa rite legitur apud rationem adoratur, & diuina adoratione colitur.* Epiphanius in ancorato notabiliter ante medium; *adoras saluatorem incorporatum aut non adoras &c. ecce ipse creator am adoras ipsum corpus.* Ingens autem est res sancta eorum qui talia dicunt: nam rex purpurā indutus de omnibus adoratur; nunquid ergo purpura adoratur aut rex? manifestum est quod rex coadoratur autem cum ipso purpura quam gestat. Theodoretus in cap. 1. ad Ephes. explicans illud, secundum operationem potentie, &c. ait: *quod sumpta ex nobis natura eius de bonis cum ea quæ sumpta sit particeps, ut nulla videatur esse adoratio differentia, &c. hoc uero omne miraculum superat.* Dam. lib. 3. de fide cap. 8. *vnus est Christus, Deus perfectus, & perfectus homo, quem adoramus cum Patre & Spiritu vnā adoratione cum immaculata carne eius, neque adorabilem carnem esse dicimus; nam adoratur in vna*

Verbi hypostasi. videri potest libro 4. cap. 2.

Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. dicit *Angelos non solum diuinitatem sed etiam stabilitū pedum eius adorare, per quod intelligit humanitatem Verbo vnitam. quemadmodum & plures alij Patres explicant. August. serm. 58. de verbis Domini, sed illi replicabunt & dicent: quid, quod carnem eius quam creaturam esse non negas simul cum diuinitate adoras? & ei non minus quam diuinitati deferis? Responderet ego dominicam carnem imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod a diuinitate suscepta, atque deitatem vnica est. Plures ab alijs citatos praterco consilia docentes.*

Ex quibus deducitur illam sententiam ita videri certam, ut contraria nullo modo possit censerī probabilis; cum Concilia & Patres non tantum velint esse vnā personā in Christo quæ adoratur latræ, sed etiam carnem, corpus, humanitatem vnā cum diuinitate adorari, coadorari, eamque comparent purpuræ quæ etiam adoratur cum adoratur rex: comparent etiam throno regio.

Conf. ex eo quod humanitas gloriatur sedere ad dexteram Patris, id est habere gloriam diuinitatis, ut ait Dam. lib. 4. de fide cap. 2.

Huius rei ratio optima est quam indicat Patres: quando adoratur persona, coadoratur ea quæ illam personam afficiunt: unde quando Christus adoratur latræ propter infinitam dignitatem naturæ diuinæ quæ in illo reperitur, concomitanter adoratur humanitas illi coniuncta.

Ut uero patet ex dictis, in hac adoratione humanitas non est terminus primarius qui in se habeat excellentiam propter quam ei tribuatur adoratio, sed est coniuncta illi termino, & cum illo colitur seu coadoratur; eod quod cultus latræ personæ Christi exhibitus, concomitanter comprehendat id totum quod in Christo reperitur, quamuis ratione excellentiæ diuinæ; quemadmodum partes coadorantur quando adoratur totum.

Hunc modum adorationis aliqui vocant per accidens, quia videlicet res non adoratur ratione suæ excellentiæ, neque eo cultu colitur per se seorsim sumpta; sed coniuncta alteri, cuius excellentia illi est causa propter quam adoretur cum re huiusmodi excellentiam habente. Alij vocant, adorari concomitanter & per aliud.

Ex quibus facili patet responsio ad varia quæ possunt obijci: nam dicimus communi illo dicto Scholasticorum & communi illā loquendi formā non designari, humanitatem esse id quod colitur ut Deus, neque esse id quod propter intrinsecā suam excellentiam latræ adoratur; sed quod propter coniunctionem cum diuinitate, quæ per se latræ adoratur, coadoretur; ita ut affectus primò respiciat diuinitatem & personam cui inest diuinitas, & ex consequenti humanitatem illi coniunctam.

Ex his deducitur Christum ut hominem latræ adorari, si particula, ut hominem, non sumatur reductiue designans rationem & causam propter quam cultus latræ ei exhibetur, sed sumatur specificatiue designans solum naturam in qua tali adoratione colitur.

DV B I V M II.

Vtrum Christo alia adoratio possit exhiberi?

VERON 1. in Christo non solum inueniri naturam diuinam, sed etiam humanam, eamque esse ornatam omni dono supernaturali non repugnanti statui beatifico & fini Incarnationis: unde prædita est lumine gloriæ, gratiā habituali, charitate

& simi-

12.

Ambros.

August.

Contraria sententia, nullo modo probabilis.

Damasc.

Ratio conclusionis.

13.

Humanitas tantū coadoratur.

14.

Christus ut homo adoratur latræ, si, ut sumatur specificatiue.

15.

& similibus ornamentis supernaturalibus propter quæ summam habet excellentiam & dignitatem in suo genere. Eadem maximam excellentiam sortitur ratione vnionis sui cū Verbo & cū natura diuinā; cum inde factum sit vt ad esse personale Verbi eueheretur, & modo ita sublimi copularetur natura diuinā, vt excellentior cogitari nequeat.

Sesús quæ-
stionis.

16.

Huiusmo-
di adoratio
in Ecclesia
non est in
vfu.

Petitur num ratione huiusmodi perfectionum quas in se habet natura humana Christi, & Christus in & ratione naturæ humanæ, is coli possit adoratione distincta ab adoratione latræ, de qua superiore dubio.

Suppono 2. huiusmodi adorationem non esse in vfu in Ecclesia: & merito, quia si passim exhiberetur, facile posset in animis fidelium refuscitari & foveri error Nestoris, asserētis duas in Christo esse personas. Adde quod quando in vno & eodē plures sunt tituli honoris, v.g. Regis & Comitum, nō solet ei exhiberi honor ex inferiori titulo cōueniens, sed is qui est proportionatus supremæ eius dignitati & excellentiæ: cum ergo in Christo sit titulus longē eminentior quā sunt tituli paulō antē enumerati, meritō nō solet adorari inferiori adoratione quā sit latræ; & proinde licet talis adoratio posset quantum est ex rei naturā exhiberi, tamen ab ea est abstinendum saltem in publico, ne simplicibus præbeatur scandalum & ingeneretur opinio quod adorans, duas agnoscat in Christo personas. Ijs tamen sepositis petitur quid per se loquendo fieri possit, quā in re duplex est sententia.

17.

Dux senten-
tiæ de quæ-
stione
Negat
Vasq.
Lorca.

Prior negat, quā tenet Vasquez disp. 96. cap. 4. pro qua plures citat; licet enim solum videatur agere de humanitate præcisè sumpta, nihilominus totus discursus illius & rationes locum etiam habent in adoratione quæ possit exhiberi Christo ratione humanitatis & donorum illius. Tenet etiam Lorca disp. 89. concl. 1. cuius tamen rationes non multum vrgent.

D. Thom.
affirmat.

Posterior affirmat. Tenet S. Th. art. 1. in corpore cū dicit: *honor est reuerentia alieni exhibitæ propter sui reuerentiam. & ideo si in vno homine sunt plures causæ honoris (puta prælati, scientia & virtus) erit quidē illius hominis vnus honor ex parte eius qui honoratur; plures tamen secundum causas honoris, homo enim est qui honoratur & propter scientiam & propter virtutem. Sic ergo cū in Christo sit tantum vna persona diuinæ & humanæ naturæ, & etiam vna hypostasis & vnum suppositum, est quidem eius vna adoratio & vnus honor ex parte eius qui adoratur; sed ex parte causæ quæ honoratur, possunt dici esse plures adorationes, vt scilicet alio honore honoretur propter sapientiam increatam, & alio propter sapientiam creatam.*

Durand.
Caiet.
Suarez.

Tenet etiam Dur. dist. 9. q. 3. Caiet. hic, Suarez disp. 53. sect. 2. concl. 2. & 3. Possunt etiam citari pro ea auctores, qui tenent Christi humanitatem posse adorari non tantum concomitanter modo expedito superiori dubio, sed etiam per se, vt Scotus dist. 9. q. vnica §. *quantum ad istum articulum*, & plures alij. si enim humanitas possit iuxta illos per se tanquam terminus adorari, poterit etiam Christus tali naturā præditus.

18.

Affirm. est
probabili-
or.
Prob.

Hæc sententia videtur probabilior, quā optimè probat S. Thom. paulō antē relatus. Vnaquæque enim excellentia potest esse alicui ratio cō honor illi possit exhiberi: cū ergo in Christo inueniantur excellentiæ de quibus actum est suppositione priore, potest quantum est ex rei naturā propter illas honorari & adorari.

Instantia.

Dices id solum videri verum, quando in aliquo non inuenitur sublimior aliqua ratio adorationis;

si enim inueniatur, potius videbitur irrisio adorare propter inferiorem rationem & inferiorem cultu, vt patet in eo qui Regē, qui simul esset Comes, adoraret non adequatē suæ dignitati, compellendo eum Illustrissimum Comitem.

Resp. neg. assumptum, pro quo

Solutio.
19.

Notandum adorationem præsupponere actum intellectus quo excellētia in altero apprehendatur, quæ apprehensio obiectiue non semper adequatur perfectioni eius qui adoratur prout est à parte rei; potest ergo ex tali apprehensione sequi motus adorationis illi proportionatus, idque absque iniuria eius qui adoratur; cū neque per huiusmodi apprehensionem, neque per motum adorationis subsequenter censetur aliquis nullum alium titulum adorationis inueniri in eo qui adoratur, sed ab eo præscindat.

Confir. exemplo adorationis quæ deferri potest B. Virgini, quia fuit humillima, quia est ornata maximā gratiā habituali, & sub Deo sanctissima, quia in gloria omnes Angelos superat: nullus enim potest meritō reprehendi qui propter hos & similes titulos adoraret B. Virginem, non considerando in ea matris dignitatem, cū tamen ille titulus communi sensu sit longē altior quā præcedentes.

Ad exemplū Regis qui existimaret sibi fieri iniuriā si adoraretur solum vt Comes, Resp. id non convincere; quia homines non tam spectant quid ex rei naturā fieri possit, quā quid communi hominum vfu fieri soleat & debeat: vnde si secus fiat censent se non tam honorari quā cōtemni: Christus verò optimè nouit distinguere titulos quibus citra contemptum adoratio potest sibi impendi.

Cū per adorationem hanc Christus non adoratur propter excellentiam suæ diuinitatis & personalitatis, sed propter aliam; patet hanc adorationem non esse cultum latræ, sed quendam inferiorem, etiam eam quā adoratur propter excellentiam quā eius humanitas sortitur ex vnione sui cum Verbo & diuinitate: quāuis enim huiusmodi excellentia in genere moris sit longē sublimior & altioris ordinis quā sit excellentia proueniens ex gratiā habituali, lumine gloriæ & similibus donis, non tamen est formaliter infinita, licet intimum ordinem dicat ad excellentiam infinitam, nimirum diuinam; & ita hic cultus aliquo modo dici possit diuinam excellentiam respicere.

Ex quo deducitur quod non solum dicatur inferior quoddam minoris perfectionis intensiue intra eandem speciem, sed quod sit inferioris speciei quā sit latræ Deo debita ratione infinitæ excellentiæ ipsi formaliter intrinsecæ, quia excellentia increata longē aliter mouet ad adorandum id cui inest intrinsecæ, quā ad colendum id quod solum afficit etiam per vnionem substantialem.

Confir. ratione excellentiæ infinitæ formaliter Deo inexistētis eū colimus tanquam omnium dominum & fontem omnis esse; quā ratione non quā colimus Christum propter excellentiam humanitatis ex vnione cum Verbo prouenientem; ergo diuersus modus communicandi multum potest facere ad diuersitatem cultus, licet vltimatē sit eadē perfectio, & excellentia propter quā cultus deferri videatur. Quod etiam videtur ostendi à simili in actibus amoris Dei super omnia propter infinitā bonitatem intrinsecā illi conuenientem, & amoris proximi propter eandē bonitatem Dei extrinsecā proximū efficiētē; qui actus videntur omnino specie differre; quod ex eo potest colligi quod prior sit appetitiue sūmus & iustificet, posterior nō item.

Aduerte.

Adverte tamen hanc venerationem videri procedere ab habitu religionis; nam religio quae primario nos inclinatur ad cultum Deo tribuendum propter infinitam ipsius excellentiam, potest etiam nos inclinare ad colendum id quod huiusmodi excellentiam respicit, & aliquo modo ab illa afficitur: cum ergo humanitas Christi, ratione vniionis substantiali cum Verbo, intime respiciat excellentiam incretam, & ex eo capite Christus reddatur honore dignus, virtus religionis videtur inclinare ad honorem illi sub hac ratione tribuendum.

Hunc cultum quidam vocant latrariam inferiori; alij hyperdulia. Quidquid sit de modo loquendi, videtur specie differre à cultu qui tribuitur Deo & Christo propter diuinam excellentiam, vt ex iam dictis patet. Differt etiam à cultu qui potest eidem exhiberi propter gratiam habitualem & similia dona, quibus est ornata quia prior cultus est longe sublimior & eminentior, vt pote fundatus in ratione obiectiua & dignitate moraliter infinita, quamuis vtrique adoratio possit vocari hyperdulia.

Ex his obiter intelligitur cultum qui defertur B. Virgini eo quod sit mater Dei, seu ratione dignitatis matris, specie differre ab adoratione, quae eidem tribuitur propter gratiam habitualem & similia dona, quibus est ornata quia prior cultus est longe sublimior & eminentior, vt pote fundatus in ratione obiectiua & dignitate moraliter infinita, quamuis vtrique adoratio possit vocari hyperdulia.

Contra dicta potest obijci quod ea videantur repugnare Concilijs & Patribus superiori dubio citatis.

Resp. negatiue: si quis enim attentè consideret, facile perspicitur Concilia solum voluisse agere contra Nestorium, & iuxta sensum eiusdem negasse plures adorationes posse Christo exhiberi, scilicet cum suppositorum distinctione; similiter negasse visibilem propter inuisibilem adorari, scilicet quasi esset diuersitas suppositorum, & singula suis proprijs adorationibus colerentur.

Conf. Conc. Ephesinum damnat eum qui dicit assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, cum tamen humanitas secundum Epiphaniū possit coadorari; igitur signum est Concilium aliter simpliciter verbum, coadorari, pro eo scilicet quod est simul quidē adorari, diuerso tamen cultu tanquam personam distinctam. Idem volunt cum negant in duabus naturis duas adorationes adhiberi: solum enim videntur negare duas adorationes quae exhibeantur naturis tanquam seorsim existentibus in eadem natura; nec aliud videntur velle vatio illo modo loquendi, & idem inculcandi: modū vero adorationis de quo presenti dubio agimus nō attingunt vel negant, tanquam ad rem suā nihil facientem, & nihil spectantem ad questionē fidei.

Et quamuis ita asserant vnam adorationē Christo exhibendam, vt constanter negent duas exhibendas, nihil obstat; quia vt iam diximus semper agunt contra praedictos haereticos, contra quos volunt definire Christum vnā adoratione latrāe adorandum, quā adoratione concomitanter adoretur humanitas; ita nimirum vt Christus non possit in duas personas diuidi propter diuersas adorationes; quod nullo modo sequitur ex modo adorationis de quo in presenti dubio actum est.

Idem etiam potest responderi ad Patres qui contrarium videntur docere. Potest etiam dici Patres docere vnam adorationem Christo exhiben-

dam, quia agunt de eo quod spectato vsu communi deest fieri. Notauimus autem supra modum adorationis hoc dubio propositum non esse vltatum, nec ita decenter adhiberi posse.

D V B I V M I I I.

Vtrum humanitas praecise considerata possit coli titulis in dubio superiori recensitis?

SUPERIORI dubio diximus probabile esse Christum posse adorari, non solum propter infinitam excellentiam diuinā naturae ipsi intrinsecè conuenientem, sed etiam ratione humanitatis tum vniatē Verbo, tum gratiā habitu & similibus donis ornata; ita vt illa excellentia sint ratio adorationis. Praesenti dubio inquirimus an non solum suppositum ita possit adorari, verum etiam ipsa humanitas, ita vt sit terminus per se adorationis & res per se adorata.

Id in terminis negat Vasq. disp. 96. citatā cap. 4. qui plures refert; & videtur consentire S. Th. art. 1. & 2. in corpore, qui censet honorem adorationis proprie deberi hypostasi subsistenti: & art. 2. responsione ad 1. explicat glossam quae videtur contrarium sentire, quod non sit ita intelligenda quasi seorsim adoretur caro Christi ab eius diuinitate, hoc enim contingeret solum hoc modo si esset alia hypostasis Dei & hominis. tenet etiam Caiet. art. 1. §. circa primam distinctionem.

Affirmat Scotus citatus dubio superiori. Suarez disp. 53. sect. 3. Lorca disp. 89. num. 12. & alij. Quae sententia videtur probabilior, pro cuius probatione

Notandum adorationem & motum submissionis oriri ex actu intellectus quo res concipitur praedita aliqua excellentiā, & propterea digna adoratione intellectus verò non solum potest indicare supposita seu personas praeditas excellentiā, sed etiam potest conceptu praeciso apprehendere naturas secundum se; item apprehendere illas varijs donis ornatas, & propterea honore dignas. Poterit ergo voluntas in illas ita consideratas ferri motu submissionis & exteriora submissionis signa imperare: non ergo repugnat humanitatem Christi apprehendi abstractè à supposito, & illi ita conceptus actus adorationis exhiberi, ita vt sit materia circa quam versatur adoratio & illius terminus per se.

Neque id videtur velle negare S. Thom. sed solum docere propriam & vltatam adorationem dirigendam esse ad personam tanquam ad terminum non ita verò vltatē ad naturam. Vnde similiter dicimus, quod licet hic modus adorationis non sit vltatus, non videatur tamen ex rei natura repugnare.

Porro hic applicari possunt dicta superiori dubio, scilicet humanitatem conceptam cum vniione hypostatica adorandam hyperdulia, & cultu inferiore quam sit latrā strictè sumpta, qui tamen cultus procedat à virtute religionis, cum exhibeatur propter excellentiam immediate respicientem diuinitatem & dignitatem incretam vt terminum. Conceptam verò vt ornatam gratiā, &c. adorandam cultu aliquo inferiore, qui sit eiusdem speciei cum cultu qui sanctis exhibetur, cum tribuatur propter consimiles rationes; vocari tamen possit hyperdulia, quia exhibetur propter eximia humanitatis dona.

Contra resolutionē, praeter argumentū superiori dubio

25.

Sensus dubij.

Negat Vasq. Caiet.

26.

Affirm. Scot. Suarez. Lorca. & cum ijs Auctor.

Explicatur D. Thom.

27.

Alia hyperdulia adoratur humanitas propter vniionem, alia propter gratiam ad dona.

Obiectio 1.

p

dubio

dubio factum, Vasquez disp. citatā cap. 6. obijcit 1. plures Patres.

Resp. Verum si attentē considerentur, facili aduertetur nihil contra nos facere. Aliqui enim videntur velle id quod diximus contra Nestorium, scilicet non posse adorari humanitatem seorsim à Verbo existentem, & tanquam naturam suppositi distincti à Verbo. Aliqui asserunt quidem humanitatem sedere ad dexteram Patris & participem esse ejusdem gloriæ & honoris, non tamen negant modum adorationis à nobis relatum. 3. aliqui simpliciter pronuntiant vnā adorationem exhibendā humanitati propter diuinitatem, quia vsu communi non decet aliter fieri, vt etiam notauimus.

Obiectio 2. ex ratione. Obijcit. 2. cap. 3. §. ad eam verō promittendum, quod quando humanitas adoratur propter vnionem sui cum natura diuina, adoratur quia sanctificata deitate; ergo deitas debet adorari; igitur eo casu non adoratur alia adoratione quā latria, de qua dubio 1. Antecedens prob. natura humana in Christo vncta est diuinitate tanquam oleo, & à diuinitate tanquam à causa formalis oritur illa denominatio sanctitatis in humanitate. Consequ. verō prob. si humanitas adoratur quia sanctificata, adoratio terminatur ad hunc effectum formalem; ergo etiam comprehendit causam formalem, scilicet deitatem; igitur in tali casu proposito deitas debet adorari, quemadmodum si iustitia esset capax adorationis, qui adoraret hominem iustum seu propter iustitiam, ipsam quoque iustitiā adoraret.

Resp. 1. Resp. ad antecedens in rigore negatiuē; nam immediata ratio propter quam adoratur, est ipsa vnio, licet quia ipsamet vnio immediatum ordinem dicit ad Verbum diuinum & diuinitatem, in tali adoratione habeatur respectus ad diuinitatem; vnde neglecto antecedente,

Resp. 2. negando priorem consequentiam; ad cuius probationem dico, adorationem nō necessariō terminari ad totum compositū ex re quę dicitur adorari & causa propter quam adoratur: non inquam necessitati ad id totum terminari tanquā ad rem adoratā, seu materiā adorationis, sed posse respicere id quod afficitur tanquam obiectum quod adorationis; ipsam verō formam, tanquam rationem propter quam alterum adoratur; licet non sit terminus in quem feratur adoratio.

D V B I V M I V.

Virum sancti in celo regnantes sint adorandi?

30. **P**LURES antiqui referuntur id negare; Eustathius Sebastienus, Vigilantius & plures alij, qui tamen non videntur id expresse negasse, vt ostendit Vasq. disp. 97. cap. 1. sed solum cultum reliquiarum vel imaginum id tamen expresse negant Leo Isauricus & Constantinus Copronymus qui publico edicto cultum & inuocationem sanctorum prohibuerunt, vt refert Cedrenus in vitis istorum. hos secuti sunt Wiclefista qui negant sanctos esse adorandos: in quo etiam errore versantur heretici huius temporis.

Sed certa fide constat sanctos posse licite & honeste adorari. Patet. 1. ex definitione Ecclesię in 7. Synodo act. 7. in definitione fidei; ex Conc. Trid. sess. 25. in decreto de inuocatione sanctorum.

Patet 2. ex perpetuo vsu fidelium & traditione Ecclesię.

Patet 3. ex Patribus. Hieronymo epistola 53. Aug.

Hieron. Aug. 3.

serm. 1. de sanctis Petro & Paulo. Damasc. lib. 4. de fide cap. 16. & 17. & innumeris alijs. plures vide citatos à Bellarm. tomo 1. controuersiarum lib. 1. de sanctorum beatitudine cap. 13.

Patet 4. exemplis scripturę. Iosue adorauit angelum, vt patet Iosue 5. 1. Reg. 28. Saul adorauit Samuel, cum ei post mortem apparuit. 3. Reg. 18. Abdias adorauit Eliam. & plures alij adorauerunt angelos tum alios sanctitate preditos: quos tamen scriptura nunquam reprehendit, absq; dubio reprehensura si cultus & adoratio huiusmodi essent illicita.

5. Idem patet ratione: vnique potest tribui cultus propter excellentiā, cum ergo in sanctis reperitur maxima excellentia per quam nobis sunt superiores, possumus eis ex interiori affectu honoris signa exhibere, quibus nos illis submittamus, & proinde possumus illos honorare.

Cum verō eorum excellentia sit longe sublimioris rationis quā excellentia quę oritur ex donis naturalibus & aliqua naturali perfectione; sequitur cultum illis solum exhiberi non esse cultum ciuilem & cuiusdam ciuilis obseruantię, sed esse longe excellentiorem & procedere ad virtute distincta ab obseruantia politica; esse tamen inferiorem cultu latrię, seu eo qui tribuitur Deo propter infinitam eius excellentiam. Est ergo cultus sacer qui in sanctis respicit excellentiam supernaturalē creatam propter quam adorantur, estque inferior cultu diuino, superior politico; qui non procedit ad virtute religionis, sed ab aliqua inferiore subordinata religioni; quemadmodum & ipsa obiecta inter se aliquo modo subordinantur.

Aduerte tamen hunc cultum interdum vocari religiosum, quia differt à politico principibus exhiberi solito, & est sacer; ite quia rebus sacris maxime peragitur. 3. quia ratione quadam peculiari cedit in Dei laudem & gloriam vt docent varij Patres 4. adde excellentiam propter quam hic cultus deferitur, esse participationem quandam peculiarem diuinę excellentię, ob quam eximio quodam modo dicuntur filij & amici Dei.

Ex his patet solutio fundamenti hereticorum, qui docent, solum posse esse cultum duplicis generis, scilicet religiosum, quo Deus colitur; & ciuilem seu ciuilis obseruantię. Nam ex dictis patet dari tertium quendam medium, quem Scholastici distinctionis causā vocant cultum dulę seu duliam, per hoc intelligentes honorariam seruitutem inferiorem latrię.

De hac inferiore adoratione intelliguntur Patres cum docent sanctos esse adorandos: quibus nō repugnant alij, qui id videntur negare, nam posteriores non intendunt negare posse sanctis exhiberi adorationem eamque ciuili superiorem; sed solum volunt non posse illis exhiberi perfectissimam, quę soli Deo debetur, quod est obseruandum ad conciliandā variā tum scripturę tum Patrum loca.

Ex dictis his dubijs facile patet 1. B. V. deberi cultum & adorationem plusquā ciuilem, & quidem adorandam cultu eiusdem speciei cum adoratione quę sanctis exhibetur, si spectentur dona eius supernaturalia, gratia, gloria; quamuis etiam propter illa dicatur colenda hyperdulia, non quod cultus diuersę speciei illi debeatur propter dona huiusmodi, sed quod illi debeatur eximius in trailam speciem, eo quod dona gratię & glorię in B. Virgine sint eximia.

Quod si in eadē B. Virgine consideretur dignitas matris, est colenda hyperdulia distincta speciei cum

Eustathius & Vigilantius non videntur expresse negasse, sanctos esse adorandos.

Wiclefista.

De fide est

posse licite adorari.

7. Synod.

Trident.

Hieron.

Aug. 3.

Damasc.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

1. Reg. 28.

3. Reg. 18.

cum illa ratio matris Dei sit ratio toto genere distincta & longè sublimior quàm sint illa dona creata.

Patet 2. non tantum sanctos cum Christo regnantes posse sacro cultu adorari, sed etiam eos qui nobiscum in terris degunt quos possumus venerari propter sanctitatem & alias rationes supernaturales. Patet exemplo Abdæ qui adoravit Eliam; item exemplo filiorum prophetarum qui adoraverunt Eliseum 4. Reg. 2. quia intellexerunt spiritum Eliæ super eum requiescisse. Quamquam cultus solius exhiberi defunctis soleat esse longè feruentior & submissior, cum hi sint Deo inseparabiliter coniuncti.

Contra resolutionem Odijcitur 1. Deut. 6. dicitur: *Domini Deum tuum timebis, & illi soli servies.* ubi particula *timebis* sumi pro adorabis, patet ex Matth. 4. ubi diabolo petenti à Christo adorationem, respondit Christus scriptum est. *Domini Deum tuum adorabis & illi soli servies*; igitur non licet sanctos adorare. Conf. loco Matth. citato diabolus videtur tantum communem quandam adorationem & genuflexionem petisse, & tamen à Christo dicitur adorationem soli Deo exhibendam. ubi tacite indicat Deut. 6. præcipi ut nulli præterquam Deo adratio tribuatur.

Resp. 1. verba ita generaliter accipiantur, concludendum esse nullum planè cultum etiam civilem posse hominibus exhiberi, quod non admittit hæretici, & exemplis scripturæ & vñi communi omnium gentium repugnat. si dicant locis citatis agi de cultu sacro, cumq; soli Deo deferendum, Resp. eadem facilitate dici, agi de cultu quodam supremo, & alicui tanquam supremo Domino exhibendo, & agi de servitute quam creatura suo creatori debet exhibere.

Resp. 2. aliquos censere priori parte non prohiberi cultum & adorationem sacrorum, eò quod in ea parte non ponatur *solum*, sed in posteriori, in qua agitur de adoratione Deo debita. Quod potest confirmari ex versione 70. qui pro *servies*, ponunt *atque servies*, quæ vox ex sua origine indifferens, vñ scripturæ communis accipitur pro cultu supremo.

Verum videtur solidius etiam priori parte prohiberi adorationem cuius ibi fit mentio, & scripturam velle eam soli Deo exhibendam, atq; adeò priori parte sententia simpliciter contineri particulam *solum*; (quemadmodum in hebræo implicite continetur in posteriori, in qua non habetur particula *solum*, sed addita est 70.) quod patet ex circumstantijs textus; nam verus Deus opponitur Dijs gentium, prohibeturque ne adoratio, scilicet Deo debita, illis exhibeatur. Ex quo constat per adorationem loco Deuter. citato intelligi supremum adorationis genus, & proinde illo modo loquendi, *Domini Deum tuum adorabis*, implicite negari humani cultum alijs deferendum. Catholici verò non censent hunc cultum posse sanctis exhiberi; cum nullo modo existiment illos esse Deos (& ipsimet hæretici debeant fateri illos vero Deo non opponi) sed solum posse exhiberi inferiorem, facrum tamen & superiorem cultu principibus exhiberi solito, propter rationes præfenti dubio allatas.

Conf. nifi prior pars ita intelligeretur, Christus Matth. 4. minus sufficienter visus fuisset diabolo respondisse, cum dici posset in loco Deut. non prohiberi ut adoratio, de qua ibi est sermo, etiam alijs exhibeatur; igitur ex Christi responsione datur intelligi quod prior pars sententiæ Deut. intelli-

gatur de supremo adorationis genere; de quo intelligunt Maldonatus & Lucas in caput Matthæi citatum, & tam apud Matthæum quàm in Deut. priorem partem intelligunt cum particula, *solum*. Igitur ad argumentum

Resp. 3. negando conseq. quia in loco citato Deuter. solum prohibetur ne vñ alteri exhibeatur suprema illa adoratio soli Deo debita; quod minime faciunt catholici, dum sanctos adorant.

De hac supræma adoratione intelligitur etiam responsio Christi Domini Matth. 4. quia sciebat diabolus divinos honores appetere, qui etiam per genuflexionem possunt exhiberi. vnde non obstat quod in græco habeatur *προσκυνωσεν*; quia ut notavimus dubio initio questionis moto, tam signa quàm nomina sunt indifferentia ad quodvis adorationis genus. Porro diabolus divinos honores appetisse facile potest persuaderi, ex eo quod ostenderit omnia regna mundi & illorum gloriam; scilicet tanquam sua, & in quæ supremum haberet dominium, & proinde voluerit tanquam supremus Dominus adorari.

De eodem latræ cultu intelligitur illud Apostoli ad Timoth. 1. *Soli Deo honor & gloria*; & illud ad Galat. 4. *Iis qui naturam non sunt Dy servituti*, scilicet illis tanquam Dijs honorem exhibentes.

Nec obstat quod in græco habeatur *ιδουλόματι*, quia illud verbum potest significare servitutem & cultum latræ; & in prædicto loco sumi pro cultu latræ videtur ex eo patere, quod Apostolus agat de cultu quem gentiles Dijs per sacrificia exhibebant.

Obijcitur 2. Esther 13. Mardocheus dicit; *scis quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloria cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbißimum (libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius desecrari paratus essem) sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo.* atqui Aman non videtur exegisse cultum latræ; tum quia solum exigebat cultum quem rex Assuerus ei exhiberi præceperat; tum quia nullo modo est verisimile principem alteri subiectum voluisse tantum honorem sibi deferri, quem ne quidem ipse rex sibi deferri imperaret; ergo signum est non licere sanctos adorare.

Resp. 1. etiam hoc argumento posse concludi ne quidem licere principibus cultum civilem exhibere; quod & falsum est, & non admittunt hæretici.

Resp. 2. cultum quem negavit Mardocheus Amani exhibere fuisse latræ. ut satis patet ex ipso met textu & passim tradunt Doctores; atque ita hic locus nihil facit contra catholicos, neque Mardocheus in detractando honore præscripto imprudenter se gessit, de quo videtur dubitare Caiet. 22. q. 84. art. 1.

Quia verò videtur obstarè ratio facta, res duobus modis potest explicari. 1. si dicamus Amanem verè exegisse divinum honorem & cultum Deo debitum, quod censet Bellarm. lib. citato cap. 14. §. ad quartum argumentum; & fuscè Serrarius in libri Esther caput 3. q. 3. qui docet Persarum reges divinos honores sibi vendicasse, & quibus voluissent similiter deferri decrevisse; quod ex pluribus historicis probat: hoc si verum est, res est clara, & ratio in contrarium allata corrui.

2. Si dicamus neq; Assuerum decrevisse Amani divinos honores, neq; Amanem eos exegisse; exegisse tamen eum honorem communiter sibi exhiberi, scil.

37.

Resp. 3.

Ad locum
Matth. 4.

33.

1. Tim. 1,
Gal. 4.

Obijcitur 2.

Resp.

39.

Mardo-
cheus ne-
gavit Ama-
ni cultu la-
træ.

Caiet.

Bellarm.
Serrar.

genuflexionem (vt patet ex capit. 3.) qui à Iudæis non folebat alijs communiter exhiberi quàm Deo; & ideo Mardocheum Iudeum noluisse illi huiusmodi honorem exhibere, ne cultum consuetudine populi Iudaici Deo applicatum in hominem transferret, eumque videretur latræ adorare cum scandalo Iudæorum; quod colligi potest ex capit. 3. vbi pueris regis dicentibus, *cur prater ceteros non obseruas mandatum regis?* dixit se Iudæum esse, quasi diceret se non posse eum cultum homini communiter deferre qui visu & consuetudine Iudæorum soli Deo communiter exhiberetur per modum ordinariæ reuerentiæ. Dixi, *communiter*, quia varij auctores notant principes aliquando graui ex causa etiam à Iudæis genuflexione adorari potuisse; non tamen ita factum communiter & per modum reuerentiæ ordinariæ, videri possunt Suarez disp. 52. sect. 1. ad 1. Vasquez disp. 107. cap. 3. ad 1. Delrio in caput 49. Genesim. num. 22. & seqq.

40.
Genuflexio
non solebat
à Iudæis
alijs exhibe-
ri quàm Deo.

41.
Obiectio 3.

Obiectio 3. Act. 10. cum Cornelius Petrum adoraret, Petrus eum prohibuit; similiter Paulus & Barnabas prohibuerunt cum idem tentarent Lycaones Act. 14.

Act. 10. &
14.
Resp.

Resp. ad posterius exemplum Lycaones existimasse Paulum & Barnabam Deos esse, & tanquam talibus voluisse sacrificare, quod merito eis est prohibitum. Ad prius dico Cornelium ea in re non peccasse, neque à Petro reprehensum quasi peccasset, sed Petrum solum ex modestia hunc cultum repudiasse, vt scpe fit inter homines.

Obiectio 4.
August.

42.
Resp.

Obiectio 4. Apoc. 19. cum Ioannes veller Angelum adorare, ab illo est prohibitus dicente; *vide ne feceris*. Aug. q. 61. in Genesim ceteris id poterea dictum ab angelo, quod existimaret illi esse Deum, & ideo voluisset latræ cultum exhibere. Communior tamen & verior sententia est Ioannem non errasse in conditione angeli, nec voluisse eum tanquam Deum adorare, atque adeo non fuisse ab angelo prohibitum quasi in eo peccaret; sed quod angelus reculauerit se ab eo adorari, vt ostenderet quanti homines faceret postquam natura humana euecta est ad esse personale Verbi; & præsertim quati faceret Apostolos & ministros Christi & principes Ecclesiæ. Conf. i. ex eo quod angelus addiderit, *conseruus tuus sum*. Conf. 2. ex cap. ultimo, vbi angelus tenuit similem honorem sibi exhiberi; non potest autem dici Ioannem eo loco nesciuisse fuisse angelum quem vellet adorare.

Obiectio 5. Obijciuntur, varij Patres qui negant sanctos, creaturam, martyres adorandos.

Resp.

Resp. ex dictis illos non negare sanctis inferiorem cultum & honorem posse exhiberi, cum pluribus locis tradant eos posse adorari, sed solum negare cultum & adorationem latræ.

ARTICVLVS III.

Virum imago Christi sit adoranda adoratione latræ.

43.
P RÆMISSA distinctione imaginis in quantum est res quedam materialis & in quantum consideratur tanquàm imago & representatio alterius.

Respondet imagini Christi prout est res quædã puta lignum pictum &c. nullam exhiberi reuerentiã; cum reuerentia soli nature rationali debeat: imagini verò consideratæ tanquam imagini, seu prout est representatio alterius, exhiberi eandem reuerentiam quæ exhibetur prototypo, & proin-

Resp.

de imaginem Christi esse adorandam adoratione latræ, quæ res paulò latius est examinanda, similiter & solutiones argumentorum, & agendum de cultu & adoratione imaginum.

D V B I V M I.

Virum vsus imaginum sit licitus?

44.
P RÆTER Iudæos & Mahumetanos perique hæreticos, tam antiqui, quàm recēiores, damnant imaginum cultum. Nam vt omittam Manichæos & Marcionistas quos Tharasis in 7. Synodo act. 1. testatur respuisse imagines; & alios: Leo I. Mauricus imagines honorari prohibuit, vt testatur Zonaras in eius vita & alij, & iussit aufert, vt docet Adrianus 1. in suo scripto de imaginibus ad Imperatorem Constantinum, & Irenæus eius matrem, in 7. Synodo act. 2. Videri potest Baronius tomo 9. anno 11. Leonis.

Illius impietatem secutus est filius Constantinus Copronymus, & plures imperatores successores, quos refert Bellarm. tom. 1. controuersia generali 7. lib. 2. qui est de cultu imaginum cap. 6. & tandem superiori sæculo & hoc, apertum bellum contra imagines mouent hæretici, è quibus Calvinus, vt videtur lib. 1. institutionum capit. 11. Quibus non obstantibus

Dico vsus imaginum per se loquendo esse licitum & honestum. Est de fide definitum in 7. Synodo act. 7. & patet ex vsu totius Ecclesiæ.

Prob. 1. ex facto Christi Domini, qui faciei suæ impressam imaginem in linteo misit ad Abagarum regem Edessæ, vt testatur Dam. lib. 4. de fide cap. 17. & oratione 1. de imaginibus post medium; per quam ciuitas Edessæ fuit ab incendio liberata, vt refert Euagius lib. 4. historiarum cap. 26. & quæ Leo lector in 7. Synodo act. 5. testatur se vidisse.

Præterea ipsius Christi tempore statua eiusdem fuit erecta à muliere, quæ à fluxu sanguinis fuerat per eum liberata, cuius imaginis mentionem facit Dam. oratione 3. de imaginibus. Eusebius lib. 7. historiarum cap. 14. & alij.

3. Est antiqua traditio sanctam Christi faciem in linteo tempore passionis fuisse expressam, quæ etiam hodie asseruatur Romæ in basilica principis Apostolorum, & in eundem populo ostenditur.

4. Nicodemus dicitur quandam Christi imaginem efformasse, in qua Iudæi per ludibrium Christi passionem renouarunt; ex qua percussa exiuit sanguis & aqua, vt habetur in quodam sermone citato à 7. Synodo act. 4. sub nomine Athanasij. Plura passim ab auctoribus referuntur quæ breuitatis causa prætereo.

Prob. 2. ex sanctis Patribus, quorum pleraque testimonia afferuntur in 7. Synodo act. 4. ex Basilicæ epistola ad Iulianum apostatam, in qua probatur imaginum causam & historias. Gregorio Nysseno in oratione de pictura in qua Isaac à patre immolabatur, vbi dicit, *vidi seipsum inscriptionis imaginem, & sine lacrymis transire non potui*. Damasc. orationibus pro imaginibus, & alijs ex quibus infra probabimus imaginum adorationem. Videri potest epistola Adriani 1. ad Constantinum Imperatorem pro imaginibus, quæ habetur actione 2. 7. Synodi, in qua docet venerandarum imaginum receptionem esse iuxta antiquam sanctorum Patrum traditionem; pro qua sententia plurimos Patres in superioribus adduxit.

Prob.